

- 21 De Lebna castrametati sunt in Reffa.
 22 Egressique de Reffa, venerunt in Ceelatha.
 23 Unde profecti, castrametati sunt in monte Sopher.
 24 Egressi de monte Sopher, venerunt in Arada.
 25 Inde proficiscentes, castrametati sunt in Maceloth.
 26 Profectique de Maceloth, venerunt in Thahath,
 27 De Thahath castrametati sunt in Thare.
 28 Unde egressi, fixere tentoria in Methca.
 29 Et de Methca castrametati sunt in Hesmona.
 30 Profectique de Hesmona, venerunt in Moseroth.
 31 Et de Moseroth castrametati sunt in Benejaacan.
 32 * Profectique de Benejaacan, venerunt in montem Gadgad.
 33 Unde profecti, castrametati sunt in Jetebatha.
 34 Et de Jetebatha venerunt in Hebrona.
 35 Egressique de Hebrona, castrametati sunt in Afiongaber.
 36 * Inde profecti, venerunt in desertum Sin, hæc est Cades.
 37 Egressique de Cades, castrametati sunt in monte Hor, in extremis finibus Terræ Edom.
 38* Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor jubente Domino: & ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis,
 39 Cum esset annorum centum viginti trium.
 40 Audivitque Chananeus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, in Terram Chanaan venisse filios Israel.
 41 Et profecti de Monte Hor, castrametati sunt in Salmona.
 42 Unde egressi, venerunt in Phunon.
 43 Profectique de Phunon, castrametati sunt in Oboth,
 44 Et de Oboth, venerunt in Jieabarim, quæ est in finibus Moabitarum.
 45 Profectique de Jieabarim, fixere tentoria in Dibongad,

* Deut.
10. 7.

* Supra
20. 1.

* Supra
20. 25.
Deut.
32. 50.

- 46 Unde egressi, castrametati sunt in Helmondeblathaim,
 47 Egressique de Helmondeblathaim, venerunt ad montes Abarim contra Nabo.
 48 Profectique de montibus Abarim, transferunt ad campestria Moab, supra Jordanem contra Jericho.
 49 Ibiq; castrametati sunt de Bethsimoth usque ad Abellatim in planioribus locis Moabitarum.
 50 Ubi locutus est Dominus ad Moysen:
 51 Præcipe filiis Israel, & dic ad eos: Quando transferitis Jordanem, intrantes Terram Chanaan,
 52 Disperditis cunctos habitatores Terræ illius:
 * confringite titulos, & statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate,
 53 Mandantes terram, & habitantes in ea. Ego enim dedi vobis illam in possessionem,
 54. Quam dividetis vobis sorte. Pluribus dabitur latiore, & paucis angustiore. Singulis ut fors ceciderit, ita tribuetur hæreditas. Per tribus & familias possessio dividetur.
 55 Sin autem nolueritis interficere habitatores Terræ: qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, & lanceæ in lateribus, & adversabuntur vobis in Terra habitationis vestræ.
 56 Et quicquid illis cogitaveram facere, vobis faciam.

* Deut.
7. 5.
Judic. 2.
2.

CAPUT XXXIV.

Terræ promissionis situs & limites juxta 4. orbis plagas eaque sorte dividenda præcipitur, additis illorum nominibus qui eam dividant.

I Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
 2. Præcipe filiis Israel: & dices ad eos: Cum ingressi fueritis Terram Chanaan, & in possessionem vobis sorte ceciderit, his finibus terminabitur.

3 * Pars meridiana incipiet a solitudine Sin, quæ est juxta Edom: & habebit terminos contra Orientem mare salissimum.

* Judic.
15. 1.

4 Qui circuibunt australem plagam per ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Senna, & perveniant

veniant ad meridiem usque ad Cadesbarne, unde egredientur confinia ad villam nomine Adar, & tendent usque ad Asemona.

5 Ibitque per gyrum terminus ab Asemona usque ad Torrentem Ægypti, & maris magni littore finietur.

6 Plaga autem occidentalis a mari magno incipiet, & ipso fine claudetur.

7 Porro ad septentrionalem plagam a mari magno termini incipient, pervenientes usque ad montem altissimum.

8 A quo venient in Emath usque ad terminos Sedada:

9 Ibuntque confinia usque ad Zephrona, & villam Enan. Hi erunt termini in parte aquilonis.

10 Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Enan usque Sephama,

11 Et de Sephama descendent termini in Rebla contra fontem Daphnim: inde pervenient contra Orientem ad mare Cenereth,

12 Et tendent usque ad Jordanem: & ad ultimum salissimo claudentur mari. Hanc habebitis Terram per fines suos in circuitu.

13 Præcepitque Moyse filiis Israel, dicens: Hæc erit Terra, quam possidebitis forte, & quam iussit Dominus dari novem tribubus, & dimidiæ tribui.

14 Tribus enim filiorum Ruben per familias suas, & tribus filiorum Gad juxta cognationum numerum, media quoque tribus Manasse,

15 Id est, duæ semis tribus, acceperunt partem suam trans Jordanem contra Jericho ad orientalem plagam.

16 Et ait Dominus ad Moysem:

* Josue
14. 1. 2.

17 *Hæc sunt nomina virorum, qui Terram vobis dividant, Eleazar sacerdos, & Josue filius Nun,

18 Et singuli principes de tribubus singulis,

19 Quorum ista sunt vocabula: De tribu Juda, Caleb filius Jephone.

20 De tribu Simeon, Samuel filius Ammiud.

21 De tribu Benjamin, Elidad filius Chafelon.

22 De tribu filiorum Dan, Bocci filius Jogli.

23 Fi-

23 Filiorum Joseph de tribu Manasse, Hamiel filius Ephod.

24 De tribu Ephraim, Camuel filius Septham.

25 De tribu Zabulon, Elisaphan, filius Pharmach.

26 De tribu Issachar, dux Phaltiel filius Ozan.

27 De tribu Aser, Ahiud filius Salomi.

28 De tribu Nephtali, Phedael filius Ammiud.

29 Hi sunt quibus præcepit Dominus ut dividerent filiis Israel Terram Chanaan.

CAPUT XXXV.

Assignari jubentur urbes 48. & suburbana Levitis, & ex iis urbes 6. refugii pro homicidio non voluntario: lex homicidii voluntarii, & non voluntarii: unius testimonio nemo puniendus.

1 Hæc quoque locutus est Dominus ad Moysem in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho:

2 * Præcipe filiis Israel ut dent Levitis de possessionibus suis

* Josue
21. 2.

3 Urbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum: ut ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus ac jumentis:

4 Quæ a muris civitatum forinsecus, per circuitum, mille passuum spatium tendentur.

5 Contra Orientem duo millia erunt cubiti, & contra meridiem similiter erunt duo millia: ad mare quoque, quod respicit ad Occidentem, eadem mensura erit, & septentrionalis plaga æquali termino finietur: eruntque urbes in medio: & foris suburbana.

6 De ipsis autem oppidis, quæ Levitis dabitur, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea qui fuderit sanguinem: & exceptis his, alia quadraginta duo oppida,

7 Id est, simul quadraginta octo cum suburbanis suis.

8 Ipsæque urbes, quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israel, ab his, qui plus habent, plures offerentur: & qui minus, pauciores. Singuli juxta mensuram hæreditatis suæ dabunt oppida Levitis.

9 Ait Dominus ad Moysem:

Y 3

10 Lo-

10 Loquere filiis Israel, & dices ad eos:
* Quando transgressi fueritis Jordanem in Ter-
ram Chanaan,

11 Decernite quæ urbes esse debeant in præsi-
dia fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderint:
12 In quibus cum fuerit profugus, cognatus
occisi non poterit eum occidere, donec stet in
conspectu multitudinis, & causa illius judicetur.

13 * De ipsis autem urbibus, quæ ad fugitivo-
rum subsidia separantur,

14 Tres erunt trans Jordanem, & tres in Ter-
ra Chanaan,

15 Tam filiis Israel, quam advenis, atque pere-
grinis, ut confugiat ad eas qui nolens sanguinem
fuderit.

16 Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit
qui percussus est: reus erit homicidii, & ipse mori-
etur.

17 Si lapidem jecerit, idæus occubuerit: si-
militer punietur.

18 Si ligno percussus interierit: percussoris
sanguine vindicabitur.

19 Propinquus occisi, homicidam interficiet,
statim ut apprehenderit eum, interficiet.

20 * Si per odium quis hominem impulerit:
vel jecerit quippiam in eum per insidias:

21 Aut cum esset inimicus, manu percusserit,
& ille mortuus fuerit: percussor, homicidii reus
erit. Cognatus occisi statim ut invenerit eum,
jugulabit.

22 Quod si fortuito, & absque odio,

23 Et inimicitias quidquam horum fecerit,

24 Et hoc audiente populo fuerit comproba-
tum, atque inter percussorem, & propinquum
sanguinis quæstio ventilata:

25 Liberabitur innocens de ultoris manu, &
reducentur per sententiam in urbem, ad quam
confugerat, manebitque ibi donec sacerdos ma-
gnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur.

26 Si interfector extra fines urbium, quæ exu-
libus deputatæ sunt,

27 Fuerit inventus, & percussus ab eo qui ul-
tor est sanguinis: absque noxa erit qui eum
occiderit.

28 Debuerat enim profugus usque ad mortem
Pontificis in urbe residere. Postquam autem ille
obierit, homicida revertetur in terram suam.

29 Hæc sempiterna erunt, & legitima in cun-
ctis habitationibus vestris:

30 Homicida sub testibus punietur: ad unius
testimonium nullus condemnabitur.

31 Non accipietis pretium ab eo, qui reus est
sanguinis, statim & ipse morietur.

32 Exules & profugi ante mortem Pontificis
nullo modo in urbes suas reverti poterunt:

33 Ne polluat is terram habitationis vestræ,
quæ infontium cruore maculatur: nec aliter ex-
piari potest, nisi per ejus sanguinem, qui alte-
rius sanguinem fuderit.

34 Atque ita emundabitur vestra possessio, me
commorante vobiscum. Ego enim sum Dominus
qui habito inter filios Israel.

CAPUT XXXVI.

*Lex fertur, ut filie paternam hereditatem ad-
euntes nubant contribulibus suis, ne tribus per con-
nubia misceantur & possessiones confundantur.*

1 **A**ccesserunt * autem & principes familiarum
Galaad filii Machir, filii Manasse de stir-
pe filiorum Joseph: locutique sunt Moyfi coram
principibus Israel, atque dixerunt:

2 Tibi Domino nostro, præcepit Dominus ut
terram sorte divideres filiis Israel, & ut filiabus
Salphaad fratris nostri dares possessionem debi-
tam patri:

3 Quas si alterius tribus homines uxores acce-
perint, sequetur possessio sua, & translata ad
aliam tribum de nostra hereditate minuetur.

4 Atque ita fiet, ut cum jubilæus, id est, quin-
quagesimus annus remissionis advenerit, confun-
datur sortium distributio, & aliorum possessio ad
ad alios transeat.

5 Respondit Moyfes filiis Israel, & Domino
præcipiente, ait: Recte tribus filiorum Joseph
locuta est.

6 Et hæc lex super filiabus Salphaad a Domi-
no promulgata est: * Nubant quibus volunt,
tantum ut suæ tribus hominibus:

* Deut.
19. 2.
Josue
20. 2.

* Deut.
4. 41.
Josue 20.
7. 8.

* Deut.
17. 11.

* Sup. 27.
1.

* Tobie
7. 14.